



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. V. De illis, quæ probata sunt in genere, & in specie de probatione
ætatis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

intentionem, prout habetur in *e. Ex Epistola. i. h. e.* (neque enim æquitas permittit, ut Reus contra se Actorem instruere cogatur) nisi instrumenta, quæ exhiberi petuntur, non tam sint propria unius, quam communia utrique parti, vel ratione proprietatis, vel ratione causæ, vel quando facta sunt pro cautione plurium; vel quod facta sint à persona publica, ex publico, officio &c. quin etiam sua instrumenta Reus edere debet Actori petenti, si hic fundatam suam intentionem habeat, circumstantiam tamen aliquam, quæ intervenit, ignoret (cùm in tali casu non petantur instrumenta ad principaliter impugnandum) vel si ipse Reus suis in iudicio instrumentis contra Actorem utatur, & necessaria hæc sint ad Actorem instruendum, utrum ligare velit, ad replicam formandam &c. vel si ex speciali privilegio jus habeat, ad petenda Rei instrumenta, quale privilegium Fiscus habet (saltem in causis civilibus) Ecclesiæ, Hospitalia, & alia loca pia &c. & ex probabili causæ aliarum favorabiles (nisi contraria praxis obstet) causæ usurarum restituendarum, causæ Matrimoniales, & quando agitur de salute animæ.

Qui autem in iudicio suam intentionem plenè probavit, non potest compelli, ut id ipsum etiam juramento confirmet, non obstante contrariâ consuetudine, quæ non valet, uti patet ex *c. Sicut consuetudo. h. t.* cùm in tali casu juramentum fieret absque ulla causa, quod illicitum, & irrationabile est, ita ut etiam licet possit Actor juramentum iudiciale sibi delatam recitare, si intentionem suam plenè probavit, cùm juramentum

Erhing. Compend.

hoc adhiberi non debeat litis decisiæ causæ, sed litis decidendæ.

§. V.

De illis, quæ probata sunt in genere, & in specie de probatione ætatis.

Probatio in genere versatur circa facta incerta, & de quibus dubitatur (cùm notoria probationem non requirant, *c. Super eo. 3. De testib. cogend.*) quæ in iudicium deducta sunt, & ad causam pertinent, & probari possunt.

In specie verò de ætate si dubitetur, ille probare eam debet, qui suam intentionem vel exceptionem fundat super ea, prout etiam colligitur ex *c. In presentia. 8. h. t.* nisi ex sola corporis constitutione inspecta probabilem coniecturam habens de ætate Judex, onus probandi in alium transferat, vel nisi probato actu principali, ad cuius valorem necessariò certa ætas requiritur, accessoriè & ex præsumptione ætas sufficienter probata sit, duobus enim modis ætas probari potest, videlicet, per testes scilicet qui partui v. g. interfuerunt &c. & præsumptivè, per iudicia scilicet, & coniecturas ex constitutione corporis, ex Instrumento Matrimonij &c.

§. VI.

De probatione Virginitatis.

Ex *c. Proposisti. 4. h. t.* habetur, quod Virginitas Mulieris satis probetur per proprium illius juramentum, & testimonium septem mulierum (aut pauciorum etiam); modò fuerint honestæ, bonæ famæ, & in hac re petitz) quæ ex aspectu corporis eam Virginem esse, testentur, quamvis de contrario juret Ma-

Q9

KIUS